



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Relaxatio minuti seruitii de duobus hubis'.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

quod in Muta nostra *Vilshouen*, vinum ipsorum sine exactione liberum habeat
transicum & securum siue per terram transeat vel per aquam. Vt autem talis no-
stra donatio ipsis permaneat inconuulsa, presentem litteram cum sigillo no-
stro roboratam ipsis in testimonium tradimus & donamus. Acta sunt hæc in
Osterhouen, anno Domini, M, CC, LVI, IV, Idus Decembris.

Relaxatio maioris & minuti seruitij per
quatuor annos.

Berchtoldus Dei gratia *Babenberg*. Episcopus. Vniuersis præfens scriptum in-
specturis salutem in Domino. Quia viri venerabiles fratres Monasterij in
Osterhouen. nobiscum & cum nostris fecerunt expensas sumptuosas. Nos ad
recompensationem ipsis fratribus faciendam concessimus eis vt duos mansus
de quibus pensionem seu censum annuum nobis soluunt teneant, à festo Nati-
uitatis Domini nunc instanti per quatuor annos continuos ab omni censu,
pensione & seruitio maiori & minori, liberos & quietos. Quibus annis peractis
soluant pensionem & seruitium maius. A minori verò seruitio perpetuo sine
quieti. In cuius rei testimonium præfens scriptum ei dedimus nostri sigilli mu-
nimine roboratum. Datum *Osterhouen* anno Domini M. CC. LIX. XI. Kalend.
Ianuar.

Relaxatio minuti seruitij de duobus
hubis.

NOS *Berchtoldus* Dei gratia *Babenbergen*. Episcopus. Tenore præsentium
constare volumus vniuersis, quod nos attendentes grata & sumptuosa ser-
uitia, quæ viri religiosi fratres Monasterij in *Osterhouen*, nobis & nostris familia-
ribus frequenter impendunt. Concedimus ipsis vt de duobus mansis quos
sub censu annuo & seruitijs à nobis tenent certis minora seruitia sibi retineant,
& ab ipsorum præstatione perpetuo sint immunes, maioribus seruitijs nobis
remanentibus in statu debito & consueto. In cuius rei testimonium præsentem
paginam eis dedimus nostri sigilli munimine roboratam. Datum anno Domini
M. CC. LIX, XI. Kln. Ian.

De annis quibus cessauit Aduocatia,

NOS *Berchtoldus* Dei gratia Episcopus *Babenberg*. Vniuersis tenore præsen-
tium volumus esse notum quod super dissensione quæ inter nos & nobilē
virum *Albertum* de *Hals* oriebatur talis ordinatio interuenit. Primum qui-
dem dictus *Albertus* cessit omni iuri, quod sibi in cūrte nostra *Mulbaim* vendi-
cabat, & eam nobis dimisit in perpetuum liberam & quietam. Item homi-
nes nostros vniuersos, & homines Monasteriorū in *Osterhouen* & in *Aspach* in-
quibus ipse ius aduocatiæ à nobis tenet, dimisit liberos & quietos ab omnibus
hospitalitatis & steurarum incommodis, ac alijs quibuslibet vexationibus. A fe-
sto Purificationis proximo per duos annos continuos, sed tamen antiquū & de-
bitum aduocatiæ ius debet percipere ab eisdem. Item nullos de seruis locabit in
foro *Osterhouen*, sed & locatos remouebit, præter eos qui proprietatem seu feoda
hereditaria ibi tenent, nec ibidem ii tabernas exercebunt nec alias erunt
hominibus nostris graues. Adhuc super iure quod ipse al. dicit se habere in